

seu tumultum excitaret, neque tamen id furtum faciendo, patrandoque cum telò fuisset, fregisset, seu adscendisset, tale quidem manifestum furtum est, & gravat omninò furem dictus tumultus, seu vociferatio, in tantum quidem, ut fur publico maestro, seu infami torqui impositus virgis cædatur, eiq; ditio interdicator, *Gobler. hic.* Inprimis verò domino rem ablatam, aut æstimationem, si tantum habeat, fur restituat, nec non cautionem præstet, de carcere non vindicando. Si verò fur sit ejus conditionis, ut vitæ aliqua emendatio sit speranda, cum Judex, Magistratus tamen consensu quæsito, civili aliqua, seu pecuniaria mulcta afficiet, ita etiam, ut quadruplam parti læsæ restituat, & cætera superiori & præcedenti articulo adducta observentur, *Zieritz. hic, & in notis, verb. si fur sit ejus conditionis, & c. 159. verb. pro conditione, & statu personarum, Steph. hic.* Vide de hac materia *Thom. Metzg. cons. crim. 3. n. 1. cum seqq.*

## ARTICULUS CLIX.

*Furtum violentum ascensu, aut effractione perpetratum.*

1. Si fur animo resistendi armatus domum ingressus fuerit, vel ascensio, vel effractio accesserit, tunc simpliciter non considerato, an primum, an leve, an diuturnum & nocturnum, manifestum vel occultum furtum sit, masculus laqueo, fœmina aquæ suffocatione è medio tolletur. Ergone igitur severius fœminæ, quàm viri puniendæ? Vide *Zieritz. hic, verb. mulier pœnâ suffocationis.* Est tamen in Judicis arbitrio, gravibus de causis mortis pœnam remittere, & aliam corporalem satis acerbam, ut puta excecationem, manusq; præcisionem furrogare, *auth. sed novo jure, C. de serv. fugit. & ibi Dd. comm.* Vide *Gobler. hic, Matth. Stephan. hic.*

2. An pœna ultimi supplicii, sive strangulationis furto proportionabilis, & justa sit? Negativam defendunt multi, quos allego in *meis subcisiivis, secunda editionis, disc. Acad. 1. concl. 12.* quibus addo Calvinianum Theologum *Iohan. Piscat. in præf. Analys. in Exod. Thom. Lans. de L. Regiâ, concl. 89. Thom. Morum in Vtopiâ, lib. 1. p. (mibi) 56. cum seqq. Acutissimum Philosopho-ICTum Reinh. Bachov. Echt. in notis ad Treutl. part. 2. disp. 30. th. 3.* Magnus JCtus, & Politicus verò *Dn. Christoph. Besold.* divinatur; *Friderici II.* (Vide notata ad *artic. 157. concl. 2.*) Imperatoris posteros forsan illustrissima dignitate subitò eam ob causam excidisse, quod duas de furto & venatione duriores tulerit leges. Est enim certè Deus mirabilis in operibus ac judiciis suis. Nos putamus; crescentibus delictis, crescere etiã pœnas, & in tanta, inquit *Philippus Melanchthon,* allegatus hîc à *Goblero* primùm, & postea quoque à *Zieritzio,* audacia hominum nostrorum aliæ pœnæ furti præter capitales prorsus irriderentur. Ideò etiam, si gentes mansuetiores habuerunt mitiores pœnas, tamen nostris, (inquit) hominibus propter barbariem opus est durioribus pœnis. Vide *Dan. Moller. 1. semestr. 37.* Quondam Lacedæmone furari ingenuis adolescentibus permissum erat, Athenis nihil minus: ut commemorit